



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

4. Opificu[m] instructio, vt ditescant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45653**

consolutores onerosi omnes vos estis? Ipsa eius vxor, tanquam Lycifca, ante eum stabat, & latrabat: ipsi filij & filia mœrore ingenti eum affecerunt: deseruerunt eum opes; deseruerunt vires; denique, velut catharma, in sterquilinio iacebat, *Dominus autem assumpsit eum: Et addidit omnia, quaecumq; fuerant Iob, duplicia, & benedixit nouissimis Iob, magis, quam principio eius.* A fratribus desertus erat Ioseph, sed *Dominus assumpsit eum.* A patre desertus erat, qui dixerat: *Domine permittite mihi primum ire, & sepelire patrem meum. Sed Dominus assumpsit eum* inquit: *Sine, ut mortui sepeliant mortuos suos: tu autem vade, & annuncia regnum Dei.* Neque mater potuit filium iuuare, quem, ante portas vrbis Naim, loculi tactu surgere iussit Christus; potuit ergo iuuare Christus; & potuit dicere adolescens: *mater mea dereliquit me, Dominus autem assumpsit me.*

## I V.

Pastos esse ab eodem Seruatore, qui, quod manducarent, non habuere, supra meminimus. Sed & opifices nequidquam sudantes, si ei necessitatem suam aperiant, nequaquam deseruntur. *Præceptor, tota nocte, laborantes nihil cepimus, ait bonus alioqui cymbæ liniq; magister.* Qua arte aliquid capere potuit? *In verbo autem tuo laxabo rete, ait. Et cum hoc fecissent, concluderunt piscium multitudinem copiosam.* O opifices, quibus nihil ex voto succedit, quid totos dies, totasque noctes frustra fatigamini? quid oleum & operam perditis? verum est, sudatis: verum est, vigilatis: verum est, suendo, secando, fabricando, piscando vos rumpitis: verum est, precium duplum laboris exigitis, & captatis: & nihil hæc omnia proficiunt: figuli opes colligitis: semper egetis, semper idem inopiæ saxum voluitis; omnia lucra in sacculum pertusum mittitis: quidquid influit, effluit; quasi ad Danaidum dolia damnati in cassum laboratis. Vultis causam nosse? non est vobiscum Deus: non offertis Creatori vestro manè diem, vespere noctem: non præcedit laborem vestrum oratio: non sumitis à cruce præmissa benedictionem. Dicite cum Petro, ad Christum: *In verbo tuo laxabo rete: Vsq; modo non petistis quidquam in nomine illius: Petite, & accipietis.*

## V.

Quin, etiamsi regnum illius non sit de hoc mundo, nec venerit ad dandas caducas, sed æternas atque cœlestes opes; tamen, si ita profuerit, etiam pecunias providebit. *Accesserunt, qui didrachma accipiebant (publicani) ad Petrum, & dixerunt ei: Magister vester soluit didrachma? id est, duo drachma) Et ait: Etiam, Quod*